


*Auf*

*d. 03*














*Ad magnificentem & nobilem virum,*

**IO A C H I M V M**  
**G O E T Z E N I N O L E N-**  
**H V S E N, IC<sup>tum</sup> & Oratorem Cl<sup>mum</sup>, Sere-**  
**nissimi ducis Brunsuig. consiliarium**  
**præcipuum,**

*Pro consolatione*

**E P I S T O L A.**



WVWWS GGGG

Helmæstadij in acad. Iul.

C I O C I C I X

Mense Maio.

Typis Iacobi Lucij.

kk






# IOAN. CASELIO V. CL.

S. D.

IOACHIMVS, IOACHIMI  
F. GOETZ.



Væ singularia tua in me iā inde à primis meis annis extant merita, certo mihi argumento sunt, me affectu penitus paterno abs te amari. Neq; verò ego vicissim destiti, neque vñquam desistam, te omni animi obseruantia religiosè prosequi. Hæc animorum inter nos coniunctio, siue illa fato, siue fortun.e meæ fauore accidit, fecit, vt mihi persuaderem, tibi æquè atq; ipsi patri, vel non multò certè minus, redditum meum gratum futurum. Itaq; cum etiamnum essem in itinere, hoc mihi officij præscribebam, vt ad te domo statim aliquid dare, & te de rebus nostris certiore facere. Verùm, vt pleraq; præterspem mortalibus accident, euanuit gaudium, quod me domi percepturum speraueram. Pridiè enim, quām saluus ipse domum redij, mater diem suum obierat. Non ausim enim illam nominare, vt vulgo solemus loqui, quæ prorsus materna semper vsa est erga me comitate & benevolentia. Itaq; omnem familiam plenam luctus & mœroris offendit: cum primis verò pater ingenti sanè dolore erat oppressus: neq; dum ex illo planè respirauit: neq; id forte fiet propediem, etsi in hoc multū & virili-

viriliter laborat. Neq; hoc ipsi vitio dandum esse existimo: amisit enim vxorem, cui parem suisq; moribus aptiorem illa ætate in terris reperire non potuerit. Namq; vt reliquas matronæ virtutes omittam, nulla vñquam marito fuit obsequenter: nulla maiorem mariti curam habuit: noctu, interdiu, horis omnibus; imò singulis momentis pro salute ac valetudine eius excubabat. Quod si ille forte decumberet, seruiles ipsi operas vltrò ac sedulò præstabat. Hæc cum subinde patri ad mentem recurrent, quam iacturam fecerit, videt: vnde fieri non possit, nisi hominem planè exuerit, quin vehementer animus ab ea re commoueatur. Etsi autem per se hic casus me non mediocriter perturbatum reddidit: tamen præcipue patris commiseratio tantoperè me maceravit, vt officij, de quo mature cogitaueram, rationem habere non potuerim. Nunc verò refecto paulum animo ad scribendum redire, & breui epistola te salutare volui: simul abs te summoperè petens, vt, ni graue sit, quod non suspicor, ex copiosissimo & amplissimo penu sapientiae aliquid depromas, & patri nonnihil medicinæ pares. Scio enim te in hoc genere multùm valere. Non potes hoc tempore maiorem à nobis inire gratiam. Vale. Ex paterno

OLENHVSANO. XV. Cal. Maias

CIO. ID. C. IIX.

A 2

IOACHI-

# IOACHIMO GOETZEN, V. CL.

S. D.

## JOANNES CASELIVS.

X quo domum meam misisti filios tuos, IOACHIME GOEZI, qui decimus, opinor, annus est, maior natu præ æqualibus me obseruauit, primùm hoc loco, posteà quo se cunque contulisset de voluntate tua. Tùm enim huc ingruens contagium nos diremit, adeoq; omnem hanc iuuentutem dissipauit: infœcta præterea ea tempora, quæ pristinæ frequentiæ locum non darent: quin hodiè eadem mala ita gliscunt, vt pauci huc conueniant, præsertim ex locis longinquioribus. Cui enim facultas est, in tutum se recipit. Mittebas item filios tuos, quò videbatur, & omnino erat commodum: nec poterat consilium vestrum reprehendi, præsertim cum filijs ducem daretis doctrina & fide præstantem iuuenem, Ioannem Peparinum, ita, vti dixi, mihi cognitum, nec aliter vobis etiam aliquot annis exploratum. Argentina statim in Galliam profectus Ioachimus filius tuus, cum intellexisset, se à me præ alijs diligi, in quo non errauit, (diligebam enim adolescentem

scentem, in quo statim animaduerterem certa  
signa animi constantiae & integritatis præter in-  
genium, & singulare omnis bonæ & elegantis  
doctrinæ studium) scripsit aliquoties, semper te-  
status sui erga me animi aliquam pietatem, ac, ni  
fallor, ab ea, qua te colit, primam. Rescripsi quo-  
ties commoditas dandi fuit: præsertim cum vi-  
derem gratas esse meas litteras illi nobili contu-  
bernio. Sed omnes illi salui & animi bonis cu-  
mulationes, vbi vobis visum fuit, reuertere do-  
mum: verùm de Ioachimo potissimum mihi iam  
sermo est. Hic igitur filias tuus, quem siue natu-  
ra, siue ipse se, siue tu pro tuo dexterimo iudi-  
cio totum destinaueras litteris & reipublicæ,  
cum iussu tuo transitis Alpibus altero abhinc an-  
no me Patauio de rebus suis certiorem fecisset,  
tùm quoq; pro singulari mea erga ipsum bene-  
uolentia respondi. Gaudebam enim profectò,  
gratum esse, non solùm nobilissimis illic Ger-  
manis, qui aduenienti primarium munus dele-  
gassent, sed & Italìs, viris dignitate præstantibus:  
quæ omnia habebam pro argumento virtutis,  
& cum primis prudentiæ. Hæc enim præ alijs  
conciliat nobis bonorum animos, interdum et-

jam populi. Florentiam vt venit, multa alia cognouit, vt in quadam regia, cumq; statum omnē cognoscere laboraret, vt commodius id ficeret, sermoni Etrusco, quo elegantiorē nusquam gentium usurpari, quidam πολύγλωττοι, ijdemq; prudentes viri, mihi facilē persuaserunt, eiusdem pridem ab annis circiter quinquaginta iudicij, multū operæ feliciter impendit. Poteat namq;, quod optauerat, de quibuscūq; videretur rebus conferre cum alijs, sciscitari, quæ scire desideraret, accipere, quæ alij exponerent: & poterit ex monumentis cultissimorum doctissimorumq; hominum plura cognoscere, quoties volet. Tum etiam inde Etrusca lingua ad me dedit litteras, plenas sui in me studij. Cumq; videretur mihi, constituere me censorem studiorum suorum, nihil malui, quam ipsum collaudare, vt solemus, per epistolam: verū mihi, cum vellem, non fuit mittendi commoditas. Interea, postquam descendit ab Alpibus, ab eo binas accepi, superiore mense vnas ex itinere, alteras heri, quas filius tuus Iulius Schæninga ad me misit, attulisset ipse rectius, qui à nobis abesset, non nisi quinq; aut sex millibus passuum. Per eundem respondeo.

deo. Utinam autem nouissimæ filij litteræ vni-  
formes potius fuissent, mihiq; non nisi uno ar-  
gumento utiliceret, quo ego libenter solo vte-  
rer ad vtrumq;. Namq; & tibi gratularer de redu-  
ce filio, & filio gratularer de saluo in patriam re-  
ditu. Etiam verò nunc neutrum mihi negligendū puto: etsi faciam cum breuiùs, tum obscu-  
riùs. Simul enim mihi narravit, incidisse redditum  
suum in funus matris. Sic enim, quamuis priui-  
gnus loquitur, seq; hoc merito ipsius facere, non  
vna ratione mihi fidem facit, vnde non minùs  
ipsius, quām tuam animi mœstitudinem facile per-  
spicio. Fuit autem profecto, vt gente, sic animo  
matrona nobilis, quæ & liberos tuos, vti ex se  
natos amauit, quod è secundis nuptijs non ad-  
modum speratur: & tibi in omnibus omni stu-  
dio semper morem gessit. Cumq; tui in omni re  
esset obseruantissima, non potuit non habere  
carissimos, quibus tibi cariorem sciret esse ne-  
minem, æquè tibi ipsa carissima: quæ ego pluri-  
bus scriberē, & possim persequi luculentius: sed  
non censeo esse faciendum, ne vulnus adeo re-  
cens studio recrudescat. Sit enim id nimium,  
imò ab officio migrare videatur. Putant etiam  
officij

officij siue amicitiae, proferre aliquid consolationis in rebus aduersis: quod ego, neq; prorsus negligendum putem, neq; mihi sumere debo. Etenim non solum omnem medicinam penes te tu ipse habes, sed fortis animi in simili casu documentum dedisti. Quid enim faciamus, vbi quod euēnit, in integrum restituere nequimus? Naturae rerum cedendum fuit olim mihi, tūm tibi: ingratus sit, non iam erga illam, sed eius conditorem, cui neq; iustitiam, neq; sapientiam derogare possumus, quod facere videamur, si ob amissa perpetuō nos excruciemus, cum non solūm nihil omnium recuperemus, sed ærumnas nobis cumulemus, & forte quid perpetrem⁹ grauius, quando nos met ipsi perdimus. Eundē te esse hodiē, qui tum fuisti, non dubito, & esse te oportet. Est enim constantis viri, præsertim in fortunæ fluctibus à nulla parte virtutis desciscere. Non ibo ulterius, ne, quod mihi minimè faciendum fassus fui, id aggredi videar, contrā quām rectum esse iudicem. Firmiores autem consolandi modos licet vtriq; ab illis petere, qui ea profitentur: plus autem & ipsi apud nos proficerēt, si æquè ipsi nobis exemplo forent. Quod ferē

ferè quis in minimis esse sentiat, eius non me-  
minerim, nisi seipsum vltrò offerat, et si eo, & mi-  
hi, & alijs sàpè usus fui. Ut enim è sàeuo gelu nos  
ad focum, ita animum à miserijs ad meliora re-  
ctè conuertimus. Versantur enim utriusq; gene-  
ris cuiq; plerumq; ob oculos, qua re si non profi-  
cimus, quantum oportet, non profundius ta-  
men nos interea in dolorem demergimus. Filius  
suo reditu si te non exhilarat, certè minuit istam  
ægritudinem animi: videtur hac iuventa expe-  
ctationi nostræ iam respondisse: eam superabit  
propediem: cum filio potes sermonem iam con-  
ferre de quibuscunq; velis, & opus esse censeas, in  
quo ipso boni inest plurimum. Quid autem bo-  
ni est, ex quo non simul etiam præter opinio-  
nē aliquid consolationis hauriamus? Quæcunq;  
enim res veri boni etiā pauxillum in se continet,  
cā à nobis iuventa haud dubiè miseriarū, quibus  
mortalis natura semper obnoxia est, abstergit  
aliquid, & animos nostros laborantes, siue cū a-  
lijs atq; alijs difficultatibus luctantes aliquantu-  
lum recreat. Sed tu ipse hæc, vt nostrum quisq;,  
nouisti omnia, & quando ijs opus est, habes in  
memoria. Vale. Helm. ex ac. Iul. X. Kal. Mai.  
clb - b C II X.

B

IO-

IOACHIMO, IOACHIMI

F. GOEZIO,

S. D.

20  
IOANNES CASELIUS.

**R**ium abs te epistolarum unum argumentum idem fuit, de quo non ero multis: quin re tibi pridem respondeo. Et enim ex quo tempore sensituam erga me obseruantiam, singulari benevolentia te complecti non dubitavi: imò hac illam anticipavi explorato tuo ad litteras & virtutem ciuilem diuinitus facto ingenio. Etruscum autem epistolam valde probauimus, profectam ab humanitate & elegantia: illi natus sumus, & huic iuuentus incumbit non iniuria, literata præsertim. Musæ enim fugiunt & detestantur sordes, & quicquid in qua cunq; parte vita barbariem sapit, aut aliquam umbram, siue ruris, siue negligentia, præfert: et si fucum auersantur tam ab omni simulatione alienæ, quam integritatis amantes & studiose in perpetuum. Fuit non minus secunda grata, quam de via dedisti, ut præscirem de redditu tuo: quam deniq; frater tuus ad me è vicinia misit, ex una parte item grata: ex altera atristis admodum, atq; animo etiam meo molesta. Te

cumu-

cumulatiorem animi bonis domum rediisse gaude-  
ret magis pater, vir sapiens, & boni publici non  
minius, quam liberorum amans, si luctus domesti-  
cus abfuisset. In hunc tu quoq; incidisti, ut patris  
tui late vultu, sicut speraueris, non adeò frui potue-  
ris, sed participem te doloris fieri oportuerit. Huius  
duplicem tibi caussam statim fuisse video. Non so-  
lum namq; pater fidelem & in omnibus obsequen-  
tem uxorem, sed tu quoq; tui amantissimam ma-  
trem amisisti. Ita enim ex animi sententia, et si pri-  
uignus, loqueris. Predicas enim hasce verè nobilis  
matrona virtutes: nobiles, inquam, & raras. Omni  
enim etate unum eiusmodi certum exemplum vi-  
di, secundam uxore magni viri, Othonis ab Hoym,  
qua etiam, cum suscepisset ex marito filium, qui  
domi mea hodie educatur in litteris, sex priuignos  
& unam priuignam, uti ex senatos amauit, &  
educauit summa fide & diligentia. Itaq; e nomine  
ad viuentem adhuc maritum accurato carmine  
laudaui Melzingiam, quod si legeris, non minius  
Ruscoplatæ laudes te legisse dixeris. Nitore enim ve-  
ritate tuae epistole: exemplum illius mea laudatio-  
nis, si inueniam, unammittam, et si legisse vos arbi-  
tror. Tu verò, Ioachime Gæzi, hoc incommodeum

B 2 feres,

feres, & cura deia, quibusq; præterea poteris obsequiis & studiis lenies paterni animi mæstitiam. Adeum, amicum veterem, iam quoq; scripsi, neq; tamen in quam sententiam in tuis innuebas. Neq; enim eget tantopere vir constans meo fulcro, qui me in fortibus non profitear. Validum enim esse oporteat, qui labantem fulciat. Neq; tamen non ipsi grata erunt meæ litteræ: etiam bona in spes sum, aliquā partē pro consolatione futuras. De quibus solemus inter nos scribere, ad ea reuertemur, quando utriq; erit commodum. Ea tamen, qua patri censenda, tibi legenda mitto, eodem faciunt: tu autem unus es, ut ab initio auguratus sum τῶν πολιτευσθέων, imò ad hanc metam accessisti iam omnibus rebus proximè. Vale. Helm. ex ac. Jul. X. Kal. Mai. c. I. I. CVIII.

### I D E M   E I D E M   S. D.

**T**si intereà nihil abs te vidi, neq; fuerit, cui dares: tamen non negligam, quod forte tribus verbis sub extremum epistola attigi. Principiò autem tibi gratulabor de partis iusto tempore ingenii bonis, plarisq; omnibus, quibus in hac vita, & quidem, in eo vita genere, quod coles,

coles, siue iam colis, opus est. Nihil enim omnium,  
qua necessaria existimantur, abs te prætermissum  
est, qui quædam in uniuersum accepisse dici potes,  
quorundam proba fundamenta iecisti, si quid hac  
in re iudicare posse videar. Sapiens antiquitas, qua  
veritatem è profundis tenebris sua cura & indu-  
stria erutam, nobis in clara luce ante oculos collo-  
cauit, iubebat cognoscere, non solum disciplinas, &  
ipsa studia sapientia (etsi tecum nunc præcipue de-  
ris ago, quæ sunt prudentia) sed etiam quædam, ut  
ita loquar, antegredientia: hæc nominabant  $\omega\gamma\pi\alpha$ -  
 $\delta\epsilon\mu\alpha$ , altera, ipsa  $\pi\alpha\delta\epsilon\mu\alpha$ . Illa sunt quasi tabula,  
cui fortè siue innata, siue adspersa sint quædam  
macula, perpurgatio, qua ratio picturam ante-  
re debet: in iisdem comprehenduntur, prima littera-  
tura, numerorum, dimensionū, musicæ, dissertio-  
nis rectæ, quædam cognitio. Nam perfectè siue uni-  
uersa, siue singula nosse, non est, nisi artificis, qui se  
vel eorum uni, vel quibusdam, vel pluriq[ue], ordine  
deuouerit: addo iis ex una parte poëtas & historiā.  
Quæ enim pueris siue addiscendum, siue potius ad  
degustandum proponuntur, huc rectè referuntur:  
vix eum ordinem tuentur, quando in manibus ha-  
bentur à priatis & imperitis. Ex altera parte,

quando adultiores, & sacrī musarū maturè iniciati, ea tractant, in disciplinis esse ipse non infitior. Tu verò, Ioachime, præludiorū sive tirociniorum nihil contempsisti, ut iuuentutē iubet facere hodiè in scholis passim petulanter dominans, & veterum sapientiæ superbè insultans, ebria falsis & noxiis opinionibus, inscitia. Quod ipse hoc spaciū non ita breue, ut quidam sibi compendia ad fastigium virtutis somniant, feliciter ingressus es, est non scilicet, quod gaudreas, sed causa multum, cur pergas alacrius, a meta, quam ob oculos habes, nunquam aberraturus. Hoc age, ut patriæ ornamento sis: neq; neglige alterum, quod eodem quoq; pertinet: quo cunq; loco futurus sis, omnia fac, quæ ad bonas litteras tuendas, & propagandas, & ad rectam educationem ingenuæ iuuentutis pertinent. Nec ego te in os iam laudabo, quod videar facere, si in quibus te præstare intelligam, ea hoc loco recenseam. Legaris, quæ misi proximè, & ex ea norma, quam veram esse arbitror, te ipse magis cognoueris. Sed cum eiusmodi ad omnes pertinere videantur, qui iis uti volunt, & per ingenium & alias occasiones etiam possunt; unū subiiciam, neminem nisi te respiciens. Vno tibi monito non opus est, quod exemplo pluriū,

&

Et iussu quoq; patris tui facies, ut, cuius iuris principia haufisti, commentarios non segnius tibi tractandos censeas, quam tractent ii, qui, minoribus et maioribus spretis, id solum agunt: nec obstat, etiamsi immensi et infiniti videantur, uti esse necesse est, quod negotia neq; in numerum, neq; in terminos certos cadunt, uti quosdam censere audiui, et si forte sit, qui secus sentiat: illud tamen sequendum primum locum in regiis tenenti, vix aliquis dubitet. Ego autem alio ibam, quod paucis adeo verbis expediam. Audi in omnibus patrem tuū, qui non solum ex libris, sed et ex rebus ipsis longam etatem, et ex ipsis ducibus multa singularia, quae sunt quasi secreta per manus tradita, didicit. Ipse mihi aliquando exposuit, quemadmodum, cum ex academiis, tanquam ex umbra, in aulam venisset, suaq; doctrina, industria, fide, duci Brunsuig. ERICO innotuisset, et illis ipsis rebus videretur esse paulo gratiosior, priuatim multa precepta accepisset, quae neq; docere magister alius, neq; multi capere alii, nedum exequi, possent. Nam paucorum animi et ingenia ad summas res facta sunt: et regestum natura, tum educatione, tum ex perpetuo usu intelligunt, quae ex nomine audias alio, neq; etiam lectione

Etione comperias omnia. De iis arcanis preceptis  
multa tibi depromet, nec illa vulgaria, pater tuus:  
tua auscultatione efficies, ut hoc largiter & quoti-  
diè faciat: faciet tum quoq; cum neq; de iis queres,  
& fortè minus animaduertes, uti sit in quacunq;  
perpetua consuetudine: quod de ea, qua cum malis  
sit, in proverbio est, de altera non minus verum.  
Audieris & audies sapiens, qua quantaq; negotia  
ducis ERICI gesserit, quas ab eo singulares legatio-  
nes quomodo obierit: quorum nihil non tibi magno  
documento erit. Cum ille princeps humanissimus  
Ticini deceſſisset, agnatus hæres, dux IVLIVS, pa-  
trem tuum, cuius consilio carere non posset, in sena-  
tum adſciuit: habet ipsum eodem loco hodie dux sa-  
pientissimus HENRICVS IVLIVS. Magnum  
est & perrarum, quasi tertio ſeculo apud tres du-  
ces in perpetua gratia fuiffe, cum bono publico. Quæ  
omnia te aquè ad paternam disciplinam, quam ad  
paterna laudis emulationem excitare debent, &  
pridèm excitant. Ita enim de te ſentio, quem ſcio  
omnibus moueri, quæ ad verum decus faciunt, &  
ad bonum patriæ. Vale. Helm. in ac. Iul. VI.

id. Mai. c15 I5 CIIIX.

F I N I S.



AB:155265

ULB Halle  
003 878 325


3




56.

VII 17







35.

*Ad magnificentum & nobilem virum,*

**IOACHIMVM  
GOETZEN IN OLEN.  
HVSEN, IC<sup>tum</sup> & Oratorem Cl<sup>mum</sup>, Sere-  
nissimi ducis Brunsuig. consiliarium  
præcipuum,**

*Pro consolatione***EPISTOLA.**

Lodvynus Eggen

**Helmæstadij in acad. Iul.****XII C II CI C I C**

Mense Maio.

**Typis Iacobi Lucij.**

kk